

The University of Chicago
Library





WESSELI ALBERTI VAN HENGEL

O R A T I O

D E

GRAMMATICA LITTERARUM SACRARUM
INTERPRETATIONE.

HABITA D. XXII SEPTEMBRIS ANNI MDCCCXXVII.

QUUM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA ORDINA-
RIAM THEOLOGIAE PROFESSIONEM PUBLICE
SUSCIPERET.

BS 464.
H 5



1705586

PERILLUSTRES HUJUS ACADEMIAE CURATORES!

MAGNIFICE RECTOR!

QUI JURI DICUNDO, AUT CIVITATIS LEYDENSIS COMMODIS CU-
RANDIS PRAEESTIS, QUIQUE UTRIQUE COLLEGIO AB ACTIS ES-
TIS, VIRI AMPLISSIMI!

QUARUMVIS DOCTRINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

LECTORES ERUDITISSIMI!

ORACULORUM DIVINORUM INTERPRETES, PLURIMUM VENERANDI!

QUA-

QUARUMCUNQUE ARTIUM AC DISCIPLINARUM DOCTORES PERITISSIMI!

STUDIOSAE JUVENTUTIS CORONA, SPES PATRIAE; PARENTUM DECUS, NOSTER AMOR ATQUE DELICIAE!

QUOTQUOT DENIQUE ADESTIS, CUJUSVIS LOCI ATQUE ORDINIS, CIVES, HOSPITES, AUDTORES HUMANISSIMI!

Quod haud dubie homines, nec sine gravi causâ, in rebus habent máxi-
me optabilibus, nunc mihi singulari fortunae, vel potius Dei O. M. favore,
obtigisse, jucundissima mihi cogitatio est. In cathedram escendi, quam a
longo jam tempore claritate sua illustrem celebremque fecerunt doctissimi
hac in civitate viri. Capessenda est illa Theologiae hac in Academiâ docen-
dae provincia, cuius ad splendorem ac dignitatem decessoris mei nomine
insignis accedit commendatio. Pro concione dicere incepi, quâ equidem
haud scio, an apud populos, litterarum luce excultos, nulla, aut doctri-
nae copiâ abundantior, aut ad elegantiam instructior et ornatior esse pos-
sit. Sed, ut haec magna et praeclara sunt; ita pondere eorum, et nunc
me vehementer opprimi sentio, et antea scrupulum non mediocrem mihi
injectum esse recordor. Quem quo melius deponerem ex animo, orationis
circumspexi argumentum, quod si ad vestram gravitatem levius esse cen-
seretur, meae certe tenuitati accommodatum, neque hoc tamen loco meo
prorsus indignum esset. Tale vero utrum reperire mihi contigerit, vobis re-
linquendum est judicibus: quorum ad aequitatem et humanitatem configlio,
atque indulgentiam, si quid peccaverim, imploro. *Dé Grammaticâ* autem
dicam *Litterarum Sacrarum interpretatione*: et ita quidem, ut alterâ
orationis parte describatur ejus natura et indoles; in alterâ ejus cum utili-
tas, tum voluptas ostendatur.

I. Grammaticam Litterarum Sacrarum interpretationem describere volens,
antiquiora deinceps ac recentiora tempora perlustravi animo, ut vobis, viri

alicujus bene meriti memoriam recolendam, expressam quandam hujus rei imaginem proponerem. Et nemo sane vestrum celeberrima ignorat nomina ORIGENIS, THEODORETI, ISIDORI *Pelusiota*, et JOANNIS imprimis Chrysostomi. Sed his omnibus tamen palmarum eripuisse videtur THEODORUS *Mopsuestenus*: cuius igitur scripta ex paucis tantum eorum fragmentis, in lucem editis, vulgo cognita esse; maximam vero partem in Bibliothecarum umbris adhuc latere vel prorsus interuisse, summopere dolendum est. In Ecclesia, quam vocant, Latinae praeceteris operae pretium fecerunt HIERONYMUS, PELAGIUS, AUGUSTINUS, et qui hominum invidia oblizioni fere traditus est, JULIANUS *Eclanensis*. Quid vero moror in commemorandis et praedicandis, qui instauratio Sacrorum tempora praecesserunt? Quantum enim inter solis et stellarum splendorem interesse novimus; tantum ZWINGLIUS, LUTHERUS, CALVINUS, et viri principes horum similes Litterarum Sacrarum interpretatione vetustioris aetatis homines antecelluerunt: ut, si quis utrosque eadem recensione comprehenderet ausit, manes eorum mili ex sepulchrorum monumentis indignabundi prodituri videantur. Recentiore autem memoria, postquam, et ERNESTIUS praeclera illa ediderat scripta, quae hoc de loco jure meritoque laudavit VOORSTIUS, et alii viri doctissimi, tum ad Veteris, tum ad Novi Testamenti libros illustrandos diligentiam haud vulgarem adhibere inceperant. Litterarum Sacrarum interpretatio ex tenebris, in quas denudo inciderat, erepta, et ad lucem et nitorem perducta est, quae his diebus gratulamur. Sed hoc in negotio deinceps procedere, quid aliud, queso, est, quam viam persequi, qua vir immortalis, HUGO GROTIUS, quid fere sine praceptorum ope ingenium praestare posset, ad interpretationem natum et conformatum, egregio jam docuit exemplo?

Verumtamen, ut in rebus humanis nihil est, quod non aliquo laboret vitio; sic nullum Grammatici Literarum Sacrarum interpretis nobis ad imitandum datur exemplar, quod perfectum sit, omnibusque numeris absolutum. Quamobrem, si scire volumus, quaenam hac interpretatione continentur; non satis est viros ea conspicuos intueri, sed capita eius sigillatim recensenda atque exponenda sunt.

Grammaticae notio nunc amplior est, nunc restrictior. Nos notionem sumimus, qua patet latissime, et Grammaticam dicimus disciplinam leges tradentem, a quibus linguae, sive adhuc tritae, seu jam obsoletae, pendent. Unde sequitur,

Gram-

Grammaticam alicujus scriptoris interpretationem esse; quae ad hanc eandem normam ita dirigatur, ut ille nec plura dicens inducatur nec pauciora, quam, secundum leges orationi positas, ipsius ferant verba. Quod monentes, non Mathematicorum more loquimur, qui omnia tam certo definire solent, ut contradictioni locus praeripiatur. Immo ingenue fatemur, haud raro deprehendi orationem, cuius tanta aut ambiguitas sit aut obscuritas, ut ad eam amovendam nulla legum valeat observatio. Atque hinc enatum est proverbium, verborum quemque suorum optimum esse interpretem. Sed quis ideo omnia in interpretando fluxa et lubrica esse contendat? Quis Grammaticae, quoniam nonnulla sunt, quae dirimere nequeat, laudem negaverit ostendendi, quomodo vulgo mentes hominum intelligendae et exponendae sint? Quis denique nobis non assentiri debet, leges, quibus illa adstringat interpretem, non virorum doctorum arbitrio conditas, sed ex mentis humanae, semper et ubique sibi constantis, natura petitas esse?

Jam vero Litterarum Sacrarum, aequa atque omnium aliorum librorum, interpretationem his Grammaticae legibus subjectam esse arbitramur. Neque illae Veteris tantum, sed etiam Novi Testamenti interpretibus constitutae sunt. Quod enim ait AUGUSTINUS: haec scripta ab hominibus Grammaticae imperitis edita esse, audacius dici appareat, simul atque ea inspiciuntur et perolvuntur. In Orientali autem colore, Graecae eorum orationi indito, nihil aliud cernitur, quam antiquissimum dicendi genus, quod apud populos ex Oriente in Europam profectos paulatim obsolevit; ab iis vero, qui ibi remanebant, una cum prisco sentiendi et vivendi more ad posteritatem propagatum, et a Judaeis tandem ex patro sermone in peregrinos translatum est. Et si vel haec partium diversarum concretio auribus mollioribus ac delicioribus fastidio est; non adeo tamen permixta et confusa sunt omnia, ut, aut variarum linguarum proprietates agnoscendi nequeant, aut horum scriptorum interpretibus legum, quas observent, desiderium relinquantur. Quid plura? Recentiore memoriam viri docti Grammaticam librorum Novi Testamenti condere aggressi sunt: quod opus, laudabiliter inceptum, quanto magis ad perfectionem producitur, tanto certiorem viam eorum interpretationi munitum iri confidimus.

Quae cum ita sint; agite, A. A., interpretis tanquam officinam mecum

in-

intrate; eumque ad Grammaticae regulas spectate Litteris Sacris operantem! Certum igitur locum, cuius sensum, et bene intelligat, et perspicue exponat, sibi lustrandum sumit. Incipit ab indaganda singulorum verborum notione, quae eorum quidem nititur origine, neque hinc tamen semper cognoscitur. Hac repertâ inquirit, quid sibi voluerit auctor, cum verba componeret. Denique, duabus pluribusve sententiis perspectis, universae Orationis seriem persequitur. Ad nullam autem aliam trutinam verborum vim exigit, quam ad loquendi usum. Sed ecce! postquam hoc inceptum semel, bis, saepiusve ipsi ex voto successit, in loca incidit, ubi loquendi usus, vel plane incognitus est, vel valde dubius: ita ut, ad mentem Scriptoris Sacri ponderandam, ne illa quidem trutina sufficiat. Nunc interpretem ad alia tentanda urget opus. Orationem igitur contextam consulit. Totius libri, epistulae, vel carminis perscrutatur consilium. Locorum similium comparatione utitur. Dicendi genus investigat, quod scriptori suo proprium est. Veteres excitat Lexicographos et Grammaticos, qui, quomodo verba olim accepta sint, testentur. Quorum testimonialis recentiorum hominum judicia adjungit: quo doctiores illi sunt, eo pluris haec faciens. Nec satis sibi habet reperisse, quis sensus orationi inesse possit; sed quis sensus ei tribui debeat, hoc maxime scire studet. Sensus autem bene intelligens aptissima continuo quaerit verba, quibus eum cum auditoribus vel lectoribus communicet: et ita quidem, ut orationem in sermonem, sive vernaculum, seu alium quemlibet ad litteram convertat, vel circumlocutione reddat, vel annotatione aut admonitione, nunc longiore, nunc breviore exponat. Atque hoc negotio rite et feliciter peracto, se pensum sibi impositum absolvisse summopere laetatur.

Et sane plura, quam adhuc recensui, ad officium Grammatici Litterarum Sacrarum interpretis non requiruntur, ut qui iisdem obligatur legibus atque interpretes scriptorum aliorum. Sed multum diversitatis esse in modo, quo interpretatio librorum Sacrorum et exterorum ad leges illas instituenda sit, ex ipsa eorum diversitate sequitur. Quis vestrum est, A. A. qui **HOMERI**, **VIRGILIIQUE**, qui **PLATONIS** et **CICERONIS** non admiretur scripta? Quorum igitur argumentum, ingenium, et formam vobis narrare nihil attinet. Sed animadvertisse, queso, quot quantisque nominibus Litterae Sacrae ab his differant! Duobus librorum uno tanquam vinculo junctissimorum

rum voluminibus continentur. Hominibus debentur, quorum alii aliis continuata quadam serie successerunt. Non ad artes et disciplinas amplificandas, neque ingenii ostentandi, nec vulgi delectandi, nec gloriae captandae causâ scriptae sunt, sed ut omne boni et honesti studium ad aequales et posteros propagaretur, et genus humanum salutis sempiternae dono bearetur. Ipsum inducunt Deum arcana sua mortalibus patefacentem, vel legatorum, nunc coelestium, nunc terrestrium, ore de rebus suis loquentem. Quod igitur Literae illae tradunt, non argumentationis humanae probabilitate, sed, ut bene jam vidit *JUSTINUS Martyr*, auctoritatis divinae fide nititur. Neque oratio earum ad Philosophorum diligentiam elaborata, et Iectoribus tantum accommodata est doctrinae copia et ubertate imbutis; sed simplex, tenuis, popularis, quae ab omnibus omnis generis, ordinis et aetatis hominibus intelligatur. Porro alibi notiones verborum reperiuntur clarae et distinctae; hic, rerum amplitudine sermoni obstante, haud raro obscurae et minus definitae. Sententiae saepe pectoris coelestia spirantis rapiditate abruptae. Frequens proprii et figurati confusio, ex variarum mentis agitationum concursu oriunda. Denique — nam quid plura memorem! — rerum maxime futurarum, non verborum sono edita descriptio, sed corporis gestibus expressa imago. Quae singula, quis dubitat, quin ad generales interpretandi leges ita definiendas pertineant, ut multum inter librorum Sacrorum et exterorum intersit interpretem? Atque hinc factum est, ut, qui in scriptis Graecorum et Romanorum toti habitarent, cum ad Scripta Veteris vel Novi Testamenti interpretanda, aut animo impellerentur, aut extrinsecus cogerentur, satis crebro, se tanquam in terram peregrinam et incognitam translatos esse, et ipsi sentirent, et aliis proderent.

Multo etiam magis haec interpretandi diversitas intelligetur, si memineritis; Graecorum et Romanorum libros placita nobis tradere mutationi obnoxia et jam diu magnam partem communi virorum doctorum judicio improbata; Literas vero Sacras immutabilem nobis explicare religionis disciplinam. Nam quomodo haec tandem disciplina ibi proponitur? Nostri quidem moris est, eam non solum ita circumscribere, ut bipartita sit, contemplativa et activa; sed ab utrâque etiam, quae alio spectare videntur, caute secernere. Ergo saepissime quae, nobis judicibus, ad rectam et beatam vitam credenda et peragenda sunt, omnibus alienis remotis, in angusti spatii librum, me-

moriter ediscendum, congerimus. Quam longe vero hinc discrepantiae Sacrae! Quanta his inest multitudo rerum, quae olim quidem ad vere religionis disciplinam inter populos introducendam contulerunt, ad nos vero nihil quidquam pertinent! Modo occurrunt nobis, quae nusquam valent, nisi sub Orientalibus coeli plagis. Modo leguntur, quorum tempus, cui inservirent, jam diu praeterierit. Modo non nisi unius, vel gentis, vel ci-vium ordinis, vel lectoris res agitur. Reperiuntur etiam haud pauca, certis pariter locis, aetatibus et hominibus adstricta. His autem omnibus promiscue interjacent verae illae et aeternae doctrinae, ex quibus religio Christiana constat. Jam vero utrumque genus prudenter separare; alterum intra fines suos relegare, alterum religioni illi adjudicare, labor est Literarum Sacrarum interpreti proprius et peculiaris. Atque hac de causa recta earum interpretatio a semper inde Grammatico-Historica dici incepit. Qua voce composita sine damno quidem carere possumus: at, cum semel tanquam jus civitatis adepta sit, eam ferendam esse arbitror, modo in abusum ne convertatur. Convertitur autem in abusum, si plus ei conceditur, quam potestas mutabilia ad ipsam Scriptorum Sacrorum auctoritatem ab immutabilibus discernendi. Nam quemadmodum hoc ad mentem illorum virorum et bene-intelligendam et perspicue exponendam necessarium est; sic qui religionis doctrinas, ab iis revera traditas, judicio suo submittit, extra provinciam interpretis sine dubio egreditur.

Facile igitur intelligitis, A. A. quonam loco et numero a Grammatico Literarum Sacrarum interprete habeatur Philosophia. Quae cum a CICERO haud temere morum ac disciplinae magistra, Deorumque inventum dicta sit, tantum abest, ut interpres ille eam despiciat et spernat, ut opem ejus ad sensum orationis promte intelligendum et accurate exponendum avidissime expetat. Et ad assequendam orationis seriem illa in primis disciplina, quae magis praeparatio, quam pars ejus est, Logicam dico, ipsis adjumento esse solet. Sed qui Philosophiam veluti reginam faciunt, ad cuius nutum omnis interpretatio instituenda sit, eam; ut jam monuit ERNESTIUS, loco praeferunt prorsus alieno. Itaque illa more agit victoris duri et superbi. Antiquas interpretandi leges rescindit. Novas et inauditas constituit. Omnia arbitrio suo substernit. Sic vero libris, ante multas aetates in Oriente scriptis, forma induitur, ad ingenium nostrorum temporum composita. Hebraeorum vatibus placita affin- gun-

guntur; quae Graecorum invenit acumen. Loquentes inducuntur; modo ex SCHELLINGII, modo ex HEGELII, modo ex FRIESII aut aliorum Philosophorum recentissimorum scholâ et disciplinâ. Ipsi adeo Scriptores Sacri in homines convertuntur, *Pantheismi vel Hylozoismi* mysteriis omnino initiatos. Sed quid hoc aliud est, A. A.! quam in re seriâ ludere? quam divinis humana miscere? quam Literis Sacris verae religionis doctrinam extorquere, et opinionum commenta, quae die delentur, obtrudere?

Falsis Philosophiae patronis intra fines suos repulsis, haud segnius arcenti sunt, qui huc fidei, ut barbare dicitur, inducunt *Analogiam*. Hi autem ipsi cum inter se mutuo vehementer dissentiant; alii eorum a *Concilii Tridentini* decretis, alii a libris *Protestantium*, ita dictis, *Symbolicis*, alii a magistri cuiuslibet, vel sui ingenii Theologiâ, Literarum Sacrarum interpretationem pendentem faciunt. Utique si quaestio, quid Literae illae de religionis doctrinâ contineant, ad hujusmodi tribunal defertur; haud exigua nobis laboris remissio speranda est. Sed videte, A. A.! quam vanum et ludicum negotium nunc omnis existat interpretatio! quam levia et sine pondere sint, quae nostrae relinquuntur diligentiae! et, quod omnium malorum longe tristissimum est, quam penitus, ipsa horum hominum sibi reluctantate dissensione, nutet et vacillet religionis Divinae causa! Recte igitur et praecclare Grammaticus Literarum Sacrarum interpres rebus suis consulit, ubi, sedulo sibi cavens a vituperandis, quae aut prudenter a majoribus sancita, aut recentiore memoria probabiliter disputata sunt, nulli tamen arbitrio seryit humano, neminique ad sensum harum Literarum intelligendum majorem tribuit auctoritatem, quam in judicio testibus tribuitur. Haec vero testimonia, num vera et incorrupta sint, ad certas liberasque interpretandi leges explorat. His legibus universam subjicit Theogiam. His ipse parens, quamcumque in quaestionem de religionis arguento incidit, periculum, aut in majorum verba jurandi, aut nova quaevi admirandi et sectandi, facile superat. Neque anxie aut timide quaerit, a sensu ex verbis eruendo vulgus abhorreat; an ei applaudat; sed candide, et ingenue, et sine ullo partium studio, quae Scriptores Sacri tradidere, audientibus vel legentibus reddere conatur, nihil aliud pertinens, quam ne a virorum illorum mente vel transversum unguem desciscat.

Verumtamen quot quantisque difficultatibus se candidus et religiosus interpres impeditum sentiat, hunc ipsum confidentem audiamus! Vix Literas Sacras, inquit, evollo et inspicio, quin ingens adyolet rerum turba, quae mihi fraudem facit, meque a veri tramite abducit. Opiniones tenera jam aetate a matre aut nutrice acceptae, et quasi cum lacte in succum sanguinemque conversae. Placita magistrorum, mihi puerο postea inculcata: Admissa in memet inter Literas Sacras legendas certarum vocum et notionum conglutinatio. Deinde vetustatis auctoritas, majorum reverentia, aut aequalis alicujus admiratio. Nec non famae timor, gloriae ardor, animus ad aetatis suae ingenio obsequendum proclivior. Haec, fateor et haud diffiteor, inquit, ut semel interpretationem aggressus sum, me obsident, et premunt, et oculis, nisi summam adhibeo cautionem, caliginem offundunt. Quā lucem occaecante, quis hominum, etiamsi verum occultare nolit, adeo tamen LYNCEUS est, ut a mente suā alienam probe discernere atque in Literarum Sacrarum sensum penetrare sciat?

Sed hac turbā repressā, Grammaticus interpres novas in angustias compellitur. Ante omnia alia vulgaris Literarum Sacrarum editio, utrum sana et incorrupta, an a librariis affecta et depravata sit, judicanda, et ita quidem versanda est, ut suā singulis auctoribus, vel addictā, vel redditā, scriptiōne, ad eorum mentem etiam tam verborum, quam sententiarum constituatur distinctio. Atqui, ut nemini veterum, qui libris Graecorum operam dabant, ad ARISTARCHI laudem accedere contigit; sic dici non potest, quam arduum etiam ac difficile sit, hos libros purgare et emendare. Nunc vero interpretationis, proprie ita dictae, sequuntur partes. Ad quas ita peragendas, ut mens eujuslibet scriptoris per orationis obscurae vel ambiguae involucra perspiciat et detegatur, magna requiritur ingenii bonitas, judicii subtilitas, laboris et exercitationis assiduitas. Sed qui Dei munificentiā praeclaris his dōtibus praeditus est, ut insipiente se gerit, si hac in suā beatitate effusius exultat! Quid enim sine egregiā variarum linguarum cognitione; quid sine familiaritate cum scriptoribus exteris contractā, ad quam ORIGENES, BASILIUS, aliique veteres vel ipsi discipulos suos jam exhortati sunt; quid denique sine assiduā et quotidiana illā Literarum Sacrarum lectio-ne, quae domesticam parit interpretandi facultatem, ad verborum notiones reperiendas proficiet? Similiter, qui in mentes humanas introspicere, et

cogitandi rationem; quâ illae, vel sibi semper et ubique constant, vel a se mutuo discrepant, observare nescit; quid, obsecro! aget ille, ubi vocum et enunciationum ostendi debet structura, aut singulorum dictorum sensus, aut universae orationis series, aut integri cuiusdam libri, epistolae, carminis consilium et argumentum? Et qui doctrinarum varietate caret, aut vana auguror, aut in locis similibus inter se comparandis, vel in quaestionibus argumenti *Historici*, *Geographici*, *Chronologici* tractandis, vel et in rebus mutabilibus ab immutabili Christi disciplinâ segregandis, sibi suaequæ infantiae relictus, ut quis luto infixus viator, miserrime haud raro haerebit. Grave adhuc memorem et molestum negotium, quod interpreti ad mentem Scriptorum Sacrorum explicandam aptorum facessit verborum inventio, et accurata eorum collocatio, et omnium, quae res postulat, plana et perspicua narratio? Scopulos monstrem, hic ubique atrocia minitantes et firmissima pectora perturbantes? Aut casus et labores omnium, quotquot se leviter et incaute hoc in discrimen adduxerunt? Aut vel ipsius religionis, a Deo mentibus insitae, tristissimas, quas multi fecerunt atque deplorarunt, jacturas? Nulla profecto A.A. H.H.! nulla mirandi causa est, Grammaticos Literarum Sacrarum interpretes, qui hujus viae periculosae duces haberi merebentur, paucos tantum exstisset: qui omnes officii sui partes omnino compleveret, ab antiquissimâ memoriam ad hos usque dies inter omnes populos prorsus fuisse neminem:

II. Grammatica igitur Literarum Sacrarum interpretatio quid sibi requirat, et quantum difficultatis habeat, me vobis descriptsisse spero. Sed ne ad juvenum animos magis dejiciendos quam erigendos hanc causam suscepisse videar; per vestram patientiam, A.A. H.H.! mihi nunc hujus interpretationis, èum utilitatem, tum voluptatem ostendere liceat!

Et sane! quam primum nobiscum reputamus, hanc interpretationem in libris illis versari omnium praestantissimis, qui toti generi humano veram et aeternam bene Beateque vivendi normam divinitus tradant; utilitas ejus jam sponte patet et ante omnem prope ratiocinationem. Quid vero? nonne et universos populos ex horridâ et plane ferâ vitâ trahendi et ad humanitatem excolendi viam iidem libri ab antique, et ostenderunt, et muniverunt? Nonne populis, ad Christi doctrinam conversis, hic tanquam fons fuit uberrimus, ex quo per omnes aetates sensus aliquis veri, pulchri et honesti ad-

vulgus illiteratum derivaretur? Nonne viris insuper doctissimis; ad scientiam rerum priscarum sibi comparandam, tantopere inservierunt, ut nemo artem vel disciplinam profiteri posset, quin earum luce nonnihil proficeret? Scuras non rogo ac nugatores, quorum vanitas, leporis ac festivitatis laudem attingens, ne sanctissima quidem cavillari veretur. Sed ad vos me confero judices, A. A. H. H.! qui me, ut gravissimam muneris mei causam sustinerem, hac in cathedrâ collocastis, vel frequentiâ vestrâ adhuc ornasti. Et si quis forte vult, ut ab iis, qui fato defuncti sunt, sententia quoque dicatur, viros in primis excito immortales, qui, cum ad scripta Graecorum et Romanorum illustranda omnes animi vires intenderent, diligentem tamen horum librorum usum amplitudine suâ haud indignum censuerunt: SCALIGERUM, inquam, CASAUBONUM, SALMASIUM, et quartum illum TIBERIUM HEMSTERHUSIUM, quem ipsum, in magnâ hominum doctissimorum celebritate PAULI Apostoli praecognitum fuisse, quis ab omni tandem humilitate tam longe remotus est, ut ne vel fando audiverit? Jam vero, Grammatica harum Literarum interpretatio quasi ministra est, cuius largâ manu bonorum copia, in iis recondita, expromitur et dispergitur. Quam igitur si quis adire recusat, nihil aliud ei superest, quam aut inopiam suam deploare; aut nonnulla, quibus hanc occultet, cerebro male sano extundere.

Non nemo fortasse hac interpretatione a nobis nihil ultra fieri posse putat, quam maiores nostri fecerint: sed haec eadem illa opinio superstitionis est, quâ post Sacrorum instaurationem ad pigritiam et languorem reciderunt animi. Nam uti nullum adhuc Literarum Sacrarum interpretem exstitisse diximus, qui ab errore vacuus esset; sic variae concurrerunt causae, cur maiores, ceterum nunquam satis laudandi, posteritati multa et corrigenda et absolvenda reliquerint. Vitam nempe egerunt, negotiis publicis occupatissimam. Multis, quibus nos utimur, caruere libris, ad interpretationem recte instituendam necessariis. Viam interpretandi quasi per nebulas sibi parare debuerunt. Superstitionem quoque Romanam, quacum adoleverant, tam plane excutere non potuerunt, ut omnino omnes ejus abstergerentur sordes. His accessit communis hominum ad lapsum proclivitas. Itaque tantum abest, ut hac interpretatione tempus unquam perdatur, ut labor suscipiatur, dulcissimorum fructuum spem et exspectationem faciens.

Quæestionem quod attinet, num Grammatica Literarum Sacrarum inter-

terpretatio multum habeat utilitatis, nisi ei adjiciatur *Allegorica*; haec tam insulsa est, ut eam ridere satius sit, quam ei respondere. Nec pondere crescit, quod hac aetate nonnulli homines interpretationem illam *Allegoricam*, sive nomen ejus usitatum retinentes, seu Graecam ei appellationem *πτονοίας* subjicientes, ex obliuione revocarunt. Nam si, vel originum hujus scilicet interpretationis memoriam repetimus; vel mala persequimur, quae rebus Christianis peperit; vel ad coecam denique, quā late vagatur, libidinem oculos convertimus; quis non videt, nihil aliud nobis quam infastum apponi fetum, temporis dicam praeteriti, an animi vertigine affecti? At certe ut tibi prosit interpretatio, sensus ille pius, qui a Spiritu Sancto proficiscitur, lucem ei ministrare debet! Audio. Probo. Mentem Scriptorum Sacrorum hoc sine sensu saepe occultam esse, ipse contendeo. Tu vero, qui ad interpretationem Grammaticam deprimentam sensum illum extollis, dic, age! quid, eā postpositā, hic tandem valeat! Majora et sublimiora, quam ex verbis eruere possis, tibi commonstrare? Itaque hoc sensu praeditus, luce gaudes, quae Divinam obscurat lucem, Literis Sacris inditam? Papae! quanta beatitas! Non humi serpis, ut nos homunciones, Grammaticae vinculo alligati, sed super sidera volitas, ibique multa ceteris mortalibus iraccessa contemplaris! Attamen sunt nonnulla, quae scire velimus. Hoc nobis expedi, sodes! Quis celeres illas tibi dedit alas? Quorsum per aethera cursum dirigis? Quaenam ibi mirifico tuo oculorum acumine jam vidisti? Haeres? Obmutescis? Non valde miror. Quod enim omnibus tui similibus ab antiquo accidisse constat, ut nihil in medium proferrent, quam vana opinionum commenta, hoc ipsum tibi accidere certo certius est. Quid? quod pro vatibus Divinis, cuivis mentem suam eodem candore et simplicitate explicantibus, PROTEUM nobis inducis: PROTEUM, o bone! in varias se species convertentem, quibus consulentes decipiatis. Si metuis forte, ne, qui omnia Grammaticae interpretationi defert, Literarum Sacrarum vim tollat et efficacitatem; crede mihi! quod te terret, nihil aliud quam spectrum est, inquietis praecordiis assidens, somnosque pavore auferens. Tum demum oratio ibi reperiunda exsanguis redditur, cum quis audacter, ut Divinis humana admisceat, nervos ei praececidit. Hanc vero culpam, videto, uter sibi contrahat, Grammaticus Literarum Sacra-

rum interpres, an tu, qui, omni tibi repugnante loquendi usu, has in literas sensum tuum importas? Sed ardorem animi me longius abripiuisse sentio, ut familiari sermone uterer, ubi gravitas loci gravem sibi orationem postularet. Ignoscite, precor; A. A. H. H.! mihi hunc ardorem ignoscite! Non vestrum aliquem compellavi; sed hominem suo se sensu in vulgi circuitus efferentem: cujus vanitatem ac superbiam ante oculos vestros expōnens, haud omnino male meruisse mihi videor.

Et sane Grammaticae Literarum Sacrarum interpretationis utilitas eventu comprobata est. Novimus quidem operam his Literis praestitam litem perperisse inter homines, quae ut Poëtae verbis utar, coeli axem capite tangeret, terram pedibus calcaret. Neque ignoramus, illud interpretandi negotium tam exiguae frugis habitam esse, ut inter maximam sectatorum Christi partem libertas ejus tolleretur; inter ceteras vero familias nihil tam cereum et ad omnia flexible diceretur, quam Veteris Novique Testamenti Scripta. Sed quid tandem est, quod in reprehensionem incurrat? An illud forte, Literis Sacris inesse loca, quorum sensus ad liquidum non perduci possit? Ergo his Literis ignominiosum est, quod neminem unquam PLATONI aut CICERONI vitio dedisse accepimus? Aut harum interpretes inutiles sunt, quoniam nonnulla in ancipiū relinquare coguntur; qui aliis in disciplinis studia collocant, quamvis eandem imbecillitatis humanae sortem patiuntur, laudibus insignibus mactandi? Quod autem his libris objicitur, eos ad omnia flexibiles esse, uni objiciendum est Grammaticae interpretationis negligentiae. Atque ex eodem hoc fonte putidissimo, monente jam SCALIGERO, omnes emanarunt de Christi disciplinā agitatae discordiae et contentiones. Hac nempe veri duce turpiter desertā, omnia homines ad libidinem suam pervertere inceperunt. Nunc eheu! Quantum erroris, superstitionis, fraudis ad sectatores Christi redundavit! Qui se mali contagionem, apposite ad persuasionem dicendo, propagare non posse videbant, minis, verberibus, tormentis varii generis utebantur. Quin ad capitū etiam supplicium rapiebantur homines huic contagioni renitentes. Atque sic postremum omnis jacuit Grammatica Literarum Sacrarum interpretatio: donec ei locum et honorem suum restituerent rerum Christianorum reformatores. Si autem utilitas, quae huic interpretationi insit, documentum illustre capere volumus; ad spectaculum bonorum, quae a viris illis allata sunt, oculos attollamus!

Re-

Reducta igitur Scriptorum Sacrorum luce, ineptissimarum; quae longe lateque serperunt, quaestiuncularum dispelluntur nebulae. Doctorum Scholasticorum sordes eliduntur. Regno nefarie occupato ejicitur ARISTOTELIS. De fastigio suo excidit Romae tyrannis. Nomini Christiano in dies plura veteris candoris et simplicitatis redeunt lumina. Hinc inopinatam generi humano salutem afferri videmus. Pudorem et honestatem in civitates reduci. Pectora multorum vitiis et cupiditatibus purgari et emendari. Fiduciam animorum, a ridiculo panis orbiculati sacrificio averti atque uno in Christo ponи. Miserorum et spem et tranquillitatem redintegrari. Verbo dicam, cum prisca hominum stirps deleretur, novam eorum condi prolem. Quae quidem ut efficent, maiores nostri bellum non commoverunt ipsi, sed ab hostibus veri et honesti commotum, ut sua sibi et posteritati tuerentur, viriliter sustinuerunt. Atque sic nos quoque, nepotes eorum, paci dubiae vel ignominiosae certaminis discrimen praeferentes, idem illud bellum gerimus. Sed ut victoria nobis datur satis incruenta; sic aliis non utimur hastis gladiisque, quam quae mentes feriant. Nihil autem omnium, nihil ad hostes, tum confundendos validius, tum opprimendos acutius est, quam ipsa illa Grammatica Literarum Sacrарum interpretatio, cuius tractatione, et Reformatores primos eorum impetus repulerunt ac vires fregerunt, et posteros, nisi ad languorem recidant animi, tam superstitioni, quam impietati, gravissimas clades illatueros esse, persuasissimum nebis habemus.

At vero, ultra major sit, Grammaticae Literarum Sacrарum interpretationis utilitas, an voluptas ex ejus studio percipienda, difficile dictu est. Primum enim, A. A., quam suave et jucundum sit, orationis scripto mandatae interpretem esse, cum animis vestris considerate! Nimirum quo quis in vita communi homines sibi penitus cognitos habere censeatur, eo magis hunc alias ad sui aemulationem excitare constat. Et quid, quaequo, aemulatione dignius est, quam pectorum humanorum latebras et recessus pervestigare? quam in arcana, quae ibi volvuntur, cogitata, consilia, studia penetrare? quam, impeditissimis subtiliter extricatis, totam mentein reserare aliquis enunciare? Evidem, qui hoc potest, hunc tanti facio, ut fere Deus quis milbi esse videatur. Jam vero nemo vestrum non intelligit, me, ita dicentem, interpretis, qui se in Scriptorum Sacrorum mentes insinu-

nuans, nunc antea inventis lucem adspergat, nunc abdita ipse ex tenebris eruat, laetam et beatam praedicare conditionem? Multa quidem esse vidi-
mus, quorum onere interpres ille prematur: sed nonne probe novimus omnes, quod jam PLATO dixit, voluptatem et dolorem tanquam ab uno eodem-
que pendere apice: ita ut, illam capientes, et hunc fere capere cogamur?
Verumtamen, quemadmodum in omnibus aliis disciplinis, sic in hac quo-
que, initia acerbissima sunt: his autem superatis, dolor continuo com-
minuitur, voluptas maximopere augetur, atque animis generosis inertiae:
quae iis communi hominum sorte innata et adhuc residua est, omnino
excutiendae stimulus admovetur. Hac vero excussa, nihil tam grave est,
ut interpretem cohibeat, quominus in mente Scriptorum Sacrorum scruta-
tandâ et explicandâ perpetuos faciat felicissimosque progressus.

At hanc tantam voluptatem praebere nequit interpretatio, quae Grammati-
ca est! Quid igitur? Grammaticam iisdem circumscriptissimum cancellis ac
rudimenta pueris instituenda? Aut interpretem Grammaticum verborum
fecimus ac syllabarum aucupem, qui quaestionebus argutis, frivolis et
tanquam trioboli habendis vitam tereret? Vos omnes, A. A., testes advoco,
me neminem adhuc laudasse alium, quam cui laboris jucunditatem ipsa
afferret rerum tractandarum gravitas. Verumtamen, inquit, multo major
voluptas est, si ad *Aestheticam*, quam vocamus, primae deferuntur! Per-
niciem illam avertat benignissimum Dei numen! Non infitior quidem, ut
orationis suae pulchritudine Literae Sacrae insigniter illustrentur; sic mentem
lectoris ea mirifice exhilarari. Quam igitur omnibus, ut strenue perse-
quantur, auctor et hortator sum. At vero, qui, posthabitâ Grammati-
câ, literas sacras ad *Aestheticae* regulas interpretatur, non solum venustatis,
quae iis inest, colores fuso illinit, earumque doctrinam adeo turpiter cor-
rumpit, sed se etiam satis ridicule delectat. Et quid virum decet interpre-
tandi provinciae praefectum? Puellarum more, quae, per amoena obam-
bulantes, flores carpunt et serta colligunt, illud unum duce appetere *Aesthe-*
ticâ, quo suaviter afficiatur; an Grammaticâ praeiente, laborare et sudare;
ut scriptoris sui mentem assequatur? Qui hoc agit, profecto! quoquoversus
Gratias sibi habet comites: et si, peregrinatoris instar, spatium aliquod
emensus, oculos convertit rerumque lustratarum multitudinem et varieta-
tem iis percurrit, maximâ voluptate fruatur.

Atque nunc transitu mihi parato ad commonstrandum, quam suave et
ju-

jucundum sit, Literis Sacris operam navare, obversantur animo, quibus in more positum est, disciplinas aliis demandatas oratione extenuare, suam vero exaggerare. Quos tamen cum sequi pudeat, tum aperte confiteor, me de libris loqui, quos jam a pueris legere et prope memoriter ediscere consueverimus; quibus magis ad emendandam, quam ad exhilarandam mentem uti edocti simus; quorum denique oratio a nostro dicendi genere vehementer differat. Sed vel sic quidem vix ulla animi occupatio tam voluptaria est, quam horum librorum interpretatio. Primum enim haec scripta a rebus remotissimae antiquitatis initium ducunt: ut igitur, ea interpretantes, cum gentium conditoribus generisque humani satoribus habitare, eorumque in mentes penetrare nobis videamur? Deinde a capite ad calcem plena sunt luminibus dicendi, quae nativâ suâ elegantiâ interpretis animum ad se alliciunt et lectori vel centies repetita placebunt. Et doctrina ibi tradita, quamvis homini improbo et flagitioso terrorem incutit, omnes tamen pios et sinceros Christi sectatores solatio gaudioque perfundit. Quorum cumulus, animadverte, A. A., quantus horum librorum accedat interpreti, qui, ubi vulgo homines doctrinam Divinam primoribus tantum labris gustare solent, venis ac medullis ejus insidens, omni ejus dulcedine pascatur, et ad beatitatem veri nominis nutriatur! Atque hoc nobis adspectabile faciunt vitae virorum maximorum, CHRYSOSTOMI, LUTHERI, GROTI: qui, famâ et libertate spoliati atque in capitibz periculum adducti, hoc tanquam mentis innocentis pabulo se ad mala quaevis fortiter ferenda corroborarunt, et ita recrearunt, ut sortem suam fere invidendam redderent. Vos igitur, Viri immortales! vos me excipite, et, si quis forte ad meam orationem durior ac frigidior restitit, hunc vestrâ auctoritate ad agnoscendam hujus studii voluptatem flectite! Ad te imprimis configio, gentis GROTORUM decus! Te advoco, o maxima hujus Patriae lux et gloria! qui ad Grammaticæ Literarum Sacrarum interpretationis elementa, in amplissimo hujus Academiae stadio, jam juvenis, ingenii maxime tui sagacitate, pervenisti. Tu celeberrimae huic hominum concioni dicas et ostendas, quam efficaciter studio illo carceris tenebras illustraveris, exilii asperitatem leniveris, injuriarum denique, quibus oppressus essem, memoriam ex animo prope deleveris! Tu viros Juvenes, quotquot rerum Divinarum causâ hanc in palestrâ versantur, tu prolem et posteritatem nostram ad eandem hujus studii voluptatem, quâ

ipse abundaveris, sibi quaerendam et percipiendam voce tua excites et inflames! Te omnes suspiciunt, omnes colunt generosi animi. Tuae voci, quidquid novi quidam clamant homines, quorum pectoribus callum, vel caeca obduxit supersticio, vel aurae popularis captandae cupiditas — — , tuae inquam, voci ab omnibus, quotquot incorruptum in mente habent veri pulchrique et honesti sensum, et aures praebentur, et ad ultimos praebebuntur nepotes. Tu ubi vocem illam emittere incepis, in placidam nobis et serenam transpositi videmur noctem, quā, cum modulato lusciniae carmini praetervolans ulula rauco gutture interstrepat, haec unum forte et alterum, qui ad suaviora obduruit, stridore suo delectat; ceteri vero omnes, eā sibi relictā, auribus arrectis et immotis adstantes, Cecropiam alitem admirantur.

Sed mortuorum manibus quieti redditis, ad superos redeo: Et primum quidem ad vos me converto, Perillustres hujus Academiae Curatores! qui cum me Augustissimo Belgarum Regi proponeretis, ut ipsius decreto ad Professoris Theologiae minus vocarer, me singulari vobis beneficio devinxistis. Quod, si ad mediocritatem meam respicio, favoris vestri luculentissimum mihi documentum est. Itaque omnem meam spem et exspectationem in vobis colloco: vos, Viri illustrissimi et generosissimi! quidquid in vobis sit, facturos esse confidens, ut haec provincia mihi maxime grata et jucunda reddatur. Evidem imbecillitatis humanae haud immemor, nihil vobis polliceri ausim: sed quamdiu illum literarum ac disciplinarum, cuius mihi conscientia sum, amorem servaverit benignissima Dei Providentia, et vobis industria ac diligentia mea placere, et virorum illorum, qui hujus Academiae famam egregiam suā doctrinā amplificant, vestigia tenere sumūmopere annitar.

Quod ut vos agitis, Clarissimi diversarum doctrinarum Professores! ita maxime gaudeo, me eo in loco positum esse, ubi in vitas vestras, tanquam in speculum, inspicere, atque hinc mihi exemplum capere possim. Magnus quidem, cum hunc vestrum in ordinem vocarer, mihi scrupulus injectus est; sed solatio mihi fuit vestrae, cum in me propensionis testificatio, tum humanitatis cogitatio. Nunc me vobis commendo collegam, socium, amicum, votis ac desideriis vestris satisfaciendi studiosissimum. Fateor,

si.

si hunc ordinem oculis percurrentes, omnes fere viros doctissimos, quorum disciplinā olim usus sim, hinc abiisse videam, acerbo me dolore pungi: sed te coram intueri, te; Cl. VAN DER PALM! a quo ad Literas Orientales instructus, et multis beneficiis cumulatus sum: te salvum, et vigentem, et talem intueri, qualem mihi maxime, tam dicendi pro concione, quam in scholā docendi exemplo sumere velim; dicere nequeo, quantum illud me erigat, et quanto gaudio me perfundat. Me quod attinet; si quis animo candor, si fides, si pietas inest, illud omne tibi explicare studebo.

Atque hoc vobis, Viri meritissimi, CLARISSE, SURINGAR et KIST! qui Theologiae docendae provinciam sortiti estis, dictum quoque accipite! Quales ego vos habiturus sim, satis ipsi superque jam ostendisti; cum amicitiam vestram, vel nuper antiquā mihi simplicitate offerrebas, vel longo jam tempore praestaretis. Hanc igitur, Viri Clarissimi! si quando quid imprudentius ego aut commisisse aut omisisse deprehensus ero, ne vos mihi unquam renuncietis, sed mihi bene velle perseveretis, ut vestrā adhortatione, consilio, operā adjutus, vobiscum Sacrorum antistites informem, qui religionis Christianae causam bene ac laudabiliter tueantur!

Sed te nomine non affari piaculum sit: te, Clarissime VAN VOORST! qui olim juventutē meam doctrinā tuā ornasti, et, uti ad omnem, si qua pollēo, Theologiae scientiam, sic ad Grammaticam Literarum Sacrārum interpretationem p̄aeparasti: qui porro per longā annorum seriem singulari benevolentia studia mea promovisti, in rebus adversis mihi subvenisti, et vel patris loco mihi fuisti: qui denique, ne quid beneficiorum tuorum magnitudini deesset, me unum elegisti, qui tibi surrogarer, aetatis causā docendi lege soluto et ad quietis locum recepto. Hanc tibi honorificam vitae peractae remunerationem gratulor. Gratulor tibi bonorum patriae et civitati Christianae doctrinā et virtute tuā allatorum conscientiam. Neque unquam ego, quamdiu aliquis hoc in pectore pietati honos est, eorum, quae tibi debo, obliviscar, nec te queribundum faciam, ingratum esse hominem, quem in sinu tuo foveris. Unum est, quo perturber: me tibi tali tantoque viro succedere: sed nihil sanctius et antiquius habeo, quam, tuā imagine animo penitus ad imitationem infixā, omnes intendere vires, ne spe in me positā omnino fallaris. Ceterum, venerande senex! ut otium tibi sit tranquillum, laetum, neque otiosum, sed in meritis tuis augendis et amplificandis occu-

patum, diu tibi Deus corporis mentisque incolumentem largiatur.

Ad vos venio, Praestantissimi hujus Academiae alumni! ut si quid vobis prodesse potero, me vestrum nemini defuturum esse edicam. Quod vobis maxime testatum facere mihi dabitur, Ornatisissimi Viri Juvenes! qui Theologiae studio vos addixistis. Vos ad sanctae hujus disciplinae penetralia, vos ad illam Literarum Sacrarum ducere conabor interpretationem, quam non solum populari Religionis Christianae doctori utilissimam, sed omni homini tristissimis etiam in rebus magno solatio et gaudio esse audivistis. Satis mihi beatum erit eodem a vobis coli studio, quo, quod nunquam non meminero, me Amstelaedami pars vestrum coluit. Sed vos officium vestrum non deserteros esse, et me certiores facit observantia, quam viris his egregiis, collegis nunc meis, probastis, et ipsi, cum ad hanc provinciam suscipiendam me invitaretis, satis clare et perspicue mihi significastis. Hoc autem teneatis velim, Juvenes optimi! gratissimos se mihi facturos esse, qui, praeceptorum suorum vestigia presse et fideliter sequentes, apti et idonei reddantur ad illud regni, a Christo conditi, propagandi munus, quo his in terris nihil est pondere gravius, nihil origine divinus, nihil ad generis humani salutem fructuosius.

D I X I.







BS 464
H5